

AXIOMATA CATHOLICAE DOCTRINÆ DE SACRA LITVRGIA.

QUAE ERVDITVS, ET HVMANISS: LIBERALIVM DISCIPLINARVM
magister, & sacrae Theologiae studiosus, Sebastianus Faber Soretanus publicè in schola Theologorum disputanda proponet XV.
Calend. Aprilis, & pro prima in re Theologica Laurea consequenda sustinere, ac tueri conabitur, Georgio The-
andro sacrarum literarum professore ordinario, praeside & patrono.

DE LITVRGIAE INSTITVTIONE, ET CELEBRATIONE.



MISSAE uocabulum ex lingua Ebraea mutuatum esse uidetur, quo significare uoluerunt patres, quod Graeci λειτουργία uocant, nos sacrum officium, uel ministerium adpellamus.

I. Est autem Missa Passionis Christi commemoratio, & quasi representatio, quae duabus potissimum partibus constat, uerbis Christi, quibus caro, et sanguis eius conficitur, reliqua omnia alteram partem dicimus, quae (teste Aug.) nihil aliud sunt, quam laudes, gratiarum actiones, uel certe obsecrationes, & fidelium petitiones.

II. Missa est cultus laetitia, soli Deo debitus, in quo rogamus Deum patrem per Christum, & uerum Christi corpus, et sanguinem, quatenus membris Ecclesiae suae uelut esse propitiis ac placatis.

III. Primam Missam celebravit Christus Dominus, eamque in postrema cena de hoc mundo exiturus instituit, ac disci pulis suis celebrandam commisit, Hoc (inquiens) facite in meam commemorationem.

V. Missae praecipuus minister est Christus, qui cum sit Sacerdos in aeternum, perpetuum habet sacerdotium, nec desistit interpellare pro nobis, donec tradiderit regnum Deo, & patri.

VI. Quemadmodum Christus ipse est, qui baptizat, ita quoque ipse est, qui per spiritum sanctum suam efficit carnem, & sanguinem.

VII. Sacerdos publicus Ecclesiae minister pro Christo legatione fungitur, qui etsi malus sit, nihilo secius tamen corpus, & sanguinem Domini conficit, & impetit: nihil enim à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in uerbo efficitur creatoris.

VIII. Duae uel plures Missae uno die haberi ab eodem sacerdote (quod ueteres binare dixerunt) non licet, tametsi sint certi casus, ubi permittatur.

IX. Priuatae Missae impiè calumniantur aduersarij, Gregorius siquidem Nazianzenus, Episcopus Constantinopoli factus, intra ciuitatem in paruo oratorio sacra faciebat.

DE SACRIFICIO MISSAE.

I. Missa est sacrosanctum nouae legis sacrificium, quo Euangelicus sacerdos omnium sacratissimam hostiam Deo patri pro uiuis, & defunctis offert.

II. Est autem haec uictima nihil aliud, quam corpus, & sanguis Christi, agnus ille immaculatus, qui solus potest auferre peccata mundi.

III. Hanc sacerdos publicus Ecclesiae minister offert loco, & nomine Christi, & quod fors per sacerdotem in conspectu Ecclesiae geritur, hoc caput & frater noster Christus Iesus inuisibiliter in conspectu patris agit.

III. Est itaque idem sacerdos, qui & sacrificium, quemadmodum & idem pastor ouium est, qui & ostium.

V. Est autem Christus secundum eam naturam sacerdos, seu λειτουργός noster, secundum quam & frater, & caput nostrum est.

VI. Christus unusmanet cum illo, cui offert, & unum se facit cum illis, pro quibus se offert, & unum est cum illis, qui offerunt, & unum cum illo, quod offertur, ait diuus Augustinus.

VII. Quamuis Christus finem imponens figuris, umbratile illud ueteris testamenti sacrificium abrogauerit, noluit tamen Ecclesiam suam, sponsam unice amatam omni prorsus sacrificio destituere.

VIII. Cum autem sacrificium Ecclesiae per figuram ueteris legis pulcherrime fuerit adumbratum, oportebat nimirum umbras superueniente luce euacuari. Umbram enim fugat ueritas.

IX. Erant autem duae potissimum figurae (ut reliquas omittam) sacrificij nouae legis, una Melchizedec, altera Leuitici pontificis, quae per Christum uerum, & aeternum sacerdotem debebant impleri.

X. Sacerdotium ordinis Melchisedecici ritè executus est Christus Dominus, quando in ultima cena corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & uini Deo patri in gratiarum actionem obtulit.

XI. Leuiticum egit sacerdotem, quando in ara crucis cruentam illam uictimam patri suo caelesti pro peccatis nostris obtulit, & per proprium sanguinem introiuit semel in sancta sanctorum aeterna redemptione inuenta.

XII. Nec sacrificium Missae aduersatur sacrificio in cruce semel à Christo peracto, nā licet eadem sit uictima utrobique, uictima tamen in cruce cruenta erat, & passibilis, iam uero in altario incruenta est, & impassibilis.

XIII. Sacrificium crucis semel tantum offerri debuit pro redemptione humani generis, quo Christus precium pro mundo soluit, Chirographum Decreti deleuit, Diabolū uicit, mortem destruxit, Oblatio cenae, quam Christus in locum sacrificiorum antiquae legis substituit, instituta est & ordinata, ut semper maneat, & iugiter in Ecclesia offeratur in representationem sacrificij crucis.

XV. Haec est oblatio illa munda, de qua iam olim uaticinatus est Malach. Ab ortu Solis usque ad occasum magnū est nomen meū in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.

XVI. Hoc est iuge illud sacrificium, quod iuxta Danielis prophetiam ab Ecclesia auferretur cum postea sit oblatio ABOMINATIO, id est, Antichristus, in templo Dei.

XVII. Haud dubie ABOMINATIONES illius praecursores sunt, & non obsecrant, qui in felici hoc seculo nostro sacrosanctum illud altarium spiritum uotogarunt, & in plurimis locis penitus à medio susulerunt.

XVIII. Accedunt huic & pleraque alia Antichristi signa, ut est defectio à Romano imperio, de qua Paul. ad Thessalonicenses, & sanctae illius ciuitatis, quae est Ecclesia, cōculcatio, de qua Io. in Apocalypsi.

DE EVCHARISTIAE VERITATE, ET NATURARVM TRANSMVTATIONE.

I. Fatendum est cum Ecclesia ante consecrationem panem & uinum esse, quae natura formauit, post consecrationem uero carnem Christi & sanguinem eius, quae benedictio cōsecrauit.

II. Hanc naturarum mutationem, quam recentiores Theologi transubstantiatione, alij transelementationem uocant, diuina uirtus, cui omnis creatura cedit, secreta potestate operatur.

III. Manent post consecrationem in Eucharistia species tantum, & accidentia panis, & uini sine subiecto. Hoc diuinus Plato nesciuit, hoc magnus ille philosophorum Deus Aristoteles ignorauit.

III. Ridendi sunt, qui tropum querunt in simplici illo, & apertissimo Christi sermone. Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Quemadmodum nec tropus est in uerbis Apostoli, dicentis. Petra autem erat Christus. Bibebant enim de spiritali consequente eos petra.

V. Impudens est Melanthon, & planè sui oblitus, qui iam supremam agens uitā, quando ad sanitatem hunc redire oportuerit, eò insania uenit, ut in Caluinianam impietatem, quam ante aperto Marte oppugnauerat, praecipitem se daret.

DE COMMVNIONE, SEV DISPENSATIONE EVCHARISTIAE.

I. Christus dominus Eucharistia sub utraq; specie instituit propter significationem, ut sanguis Christi pro nobis effusus in passione, & à corpore separatus, per separatas species apertius significetur.

II. Proinde sacerdos publicus Ecclesiae minister passionē Christi in Missa representat, & nobis quasi ob oculos ponit, utraq; huius sacramenti specie cōsecrare, & sumere debet, iuxta Ecclesiae decretū.

III. Cum autē Eucharistia conficitur, & preparatur in hoc solum, ut sumatur à Christi fidelibus, sufficit alterutra species, sub qua tamen non minus sumit Laicus, quam sacerdos consecrans sub utraq;.

V. Ademit itaque ecclesia alteram Eucharistiae speciem Laicis, non quod per se malā iudicaret, ut quae à principio nascentis Ecclesiae omnibus dispensata, à sanctis & apostolicis uiris, imò ab ipso Paulo apostolo usurpata sit, sed ne praecpta, & ad salutem necessaria esse crederetur.

VI. Item ne Christiani imperitiores Christum in partes diuiderent, & crederent cū Nestorio sub alterutra specie corpus Christi exangue & exanime contineri: qui error ut horrendus est, ita à pijs & Christianis mentibus alienissimus esse debet.

VII. Itaque institutio Christi, quam uehementer urgent Calixtini, non pugnat cum Decreto Ecclesiae, quae certis de causis alteram speciem Eucharistiae Laicis uenit.

VIII. Nec aduersatur nobis Pelagius, qui utramque speciem Laicis necessariā esse, ex uerbis Christi euincere uolebat. Nisi (inquietis) manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Cum hic nulla prorsus species commemoretur, & nos Catholici ingenuè profiteamur cum matre nostra Ecclesia, Laicum sub una specie panis edere corpus Christi, & biberere sanguinem eius.

IX. Ratio Lutheri, qui ex uerbis Christi, Bibite ex hoc oēs, persuadere uoluit Laicis, ut ex calice quoque biberent, leuior est, & infirmior, quam quae longa consutatione opus habeat, ut quam Mat. eius unico uerbo resellat, mox subiungens. Et biberunt ex eo omnes, non alij utique, quam Apostoli, qui soli tunc praesentes aderant.

X. Insani proinde sunt, qui calicem tantopere adferant, & obgannunt nobis, cōmunionem sub utraq; specie praecptam esse, & ad salutem necessariò requiri.

DE PERMANENTIA, ET ADORATIONE EVCHARISTIAE.

I. Lege Ecclesiastica sancitū est, hoc uenerabile sacramentū pro infirmis reseruandum esse, ne cum à non ieiuno sacerdote nec semper, nec ubique consecrari possit, egrotus sine cōmunionis uitae tico moriatur.

II. Deo ualdè gratū est, literis sacris proditum, figuris praemonstratū, atque adeò antiquissimo usu multis iam seculis receptum, ut sacrosancta Eucharistia religiosè & honorificè in templis adseruetur, in solennibus supplicationibus circumferatur, ad infirmos deportetur, à Christi fidelibus ueneretur, & adoretur.

III. Impij sunt, & grauiter errant, qui Eucharistiam in usu tantum sacramentū esse putant, & propterea non sanctè adseruant, sed post cōmunionem panē editis relinquunt, calicem effundunt, quasi non sit amplius sacramentum.

III. Non alius sit Christus, nec sanctum eius corpus immutabitur, sed benedictionis uirtus, & uiuifica gratia perpetua manet in illo, ait Cyrillus ad Episcopum Calosyrium de Eucharistia.

V. D. Hieronymus satis luculentus testis est. Exuperiū episcopum Tolosanū conseruasse sacramentū corporis Christi in corbe iunco, Epiphaniū quoque episcopū Cypri gestasse ex collo suspensum.

VI. Cum idē Christus lateat, & uelatus sit in hoc sacramento sub externis speciebus, qui sedet in caelis ad dexteram Dei patris, diuinus sanè honor, & cultus Laetiae eidem impendendus est, non minus, quam Deo patri.

VII. Cum omnis scriptura elamet, & elamando nos uocet, ut Deum adoremus, cur non eundem quoque sub hoc sacramento uelatum, uenerandum, & adorandum indicaremus.

VIII. Vniuersa itaque ecclesia Christum in Eucharistia uerè praesentem, & sese exhibentem supplex adorat.

IX. Nemo carnē illā manducat (inquit Aug.) nisi prius adorauerit, intuens fide non in ea, quae uidentur, sed in ipsum Christum pro nobis crucifixum, sub speciebus externis cōtectum & opertum.

DE INUOCATIONE SANCTORVM, ET SVFFRAGIIS MORTVORVM IN MISSA.

I. Ecclesia in celebratione tanti sacramenti inuocat sanctos, & precatur, ut Deus meritis, precibusque sanctorum suorum concedat, quò in omnibus diuinae protectionis auxilio muniamur.

II. Cum sanctis sua sint merita, quae tamen etiā Dei sunt dona, non dubium esse poterit, ea quoque uiuis Ecclesiae membris communicari.

III. Nec malè habere debet aduersarios nostros, quòd ad tanti sacrificij oblationem defunctorum in Christo memores simus. Ex Machabeis constat, oblatum pro mortuis sacrificium.

III. Hoc altaris sacrificium, uel quarumcumque elemosynarum, & precum suffragia pro ualdè bonis sunt gratiarum actiones, pro ualdè malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque tamen consolationes uiuorum.

Gloria soli Deo, qui est benedictus in perpetuis aeternitates.

Ingolstadtij Excudebant Alexander & Samuel Vucyff, inhornij fratres. M. D. LXII.

Deutero. 10.

De conse. dist. 2.

Mat. 26. Mar. 14.

Luce 22.

1. Corinth. 5.

Trip. hist. l. 9. c. 5.

Ioan. 10.

Ioan. 10.

De Trin. l. 4. c. 14.

Canti. Ecclesiae.

Ebrae. 9.

Malach. 2.

2. Thessa. 2.

Math. 20.

1. Corinth. 10.

Ioan. 6.

Matei 14.

Cyrillus.

In Canone maiori.

Mach. 11.

In Enchir. ad Lau.

rent. Aug.

